

tiis ac pertinentis ad eandem spectantibus in suo statu Clarissimus Professor conservare studeat; imo cum suam Domum (per l. Domum suam. ff. de Regul. Jur.) unicuique reficere, modo non officiat alteri, liceat, eandem pro arbitrio et commodo suo, absque laesione tamen Parietum et Celariorum, alias ad restaurationem eorundem proprio sumptu faciendam tenebitur, reficere, refectionem picturis, promptuariis, parietum coronis ligneis alias Listwami et aliis ornamentis adornare poterit, modo in egressu de illa quae clavo parieti affixa sunt et sine laesione parietis avelli non possunt reliquat. Omne enim quod solo inaedificatur, solo cedere debet. (§. Cum. in suo. Instit. Imperial. de Rer. division).

STATUTUM XXIII.

De Charitate mutua.

Quemadmodum sine via pervenit nullus, quo tendit, ita sine charitate, quae via est, non ambulare possumus sed errare. (can. Charitas. dist. 2. de Poenit). Ut igitur recte in omnibus ambulemus et ne in quopiam erremus; statuimus quatenus in nobis mutua charitas [quae est omnium bonorum radix (can. Quia radix. loc. cit.)] servetur. Nos invicem, non propter aliquas utilitates, non propter Affinitates vel Consanguinitates, sed propter hoc tantum, quod (jux. d. can. Chartas. §. Proximos). Naturae Nostrae simus participes diligamus. Nihil in Nobis nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate nihil immaniter, nihil inhumaniter. (can. Prodest. 2. 3. 9. 1). Nunquam a Nobis etiam in adversis (quae Deus avertat) charitas recedat; quia eo ipso, si a Nobis, etiam in illis recederet, simulata foret. (can. Ficta charitas. d. dist. 2. de Poenit.) semper maneat; quia alias quae aliquando deseri potuit, nunquam vera fuit. (can. Charitas quae. loc. cit.) radicetur in Nobis, sic omnia mala eradicabuntur. Ubi enim charitas radicata est, ibi nihil mali esse potest. (can. Radicata. d. dist. 2. de Poenit).